

13. Λόγος est vox evanescens.

Filius Dei est Λόγος, Job. 1.

E. Filius Dei est vox evanescens.

Resp. Est σόφισμα homonymias ἀναλογικῆς. In *maiore* Λόγος est prædicamenti *qualitatis*, & significat verbum prolatitium accidentarium, &c. In *minore* verò refertur ad prædicamentum *substantiæ*, & secundam Trinitatis Sacrosanctæ ὑπόστασιν significat.

14. Quicquid fit ex nihilo, illud fit:

Sed nihil fit ex nihilo.

E. nihil fit.

Resp. vox *Nihil* accipitur *dupliciter*. 1. Idem valet ac *nullum Ens seu nulla res*. Ut: *Nihil* est simul album & nigrum, i. e. *nulla res* est simul alba & nigra. 2. Est idem ac *non Ens*, ut quando dicitur *Chimæra* est *nihil*, i. e. *non Ens*. Si igitur vox *Nihil* ut est *subjectum minoris* accipitur prout idem est ac *nulla res*, *vitium est in formâ*, est enim tunc *sensus minoris*: *Nulla res fit ex nihilo*, & tunc *minor est negativa*. Si autem vox *Nihil* in *minore* accipitur, prout idem